





1758 10 26
331
ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

SENIOR

ET H. T

DECANVS

ANDREAS FLORENS

RIVINVS D

POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC

ELECT. SAXON. CONSILIARIVS AVLICVS

DIG. VET. PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

CVRIAE PROVINCIALIS CONSIST. ECCLESIAST

ET SCABINATVS VITEMBERGENSIS


ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S

ORDINIS IURIDICI
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS
S E N I O R
T H T
DECANVS
ANDREAS FLORINS
RIVINVS D
TOTIENSIS REGIS CONSILIARIVS
ALLECT SAXON CONSILIARIVS AULICVS
VITAE VIT PROFESSOR PVDICVS ORDINARIVS
SAXONIAE CONSIST. AULICAE
ET SACRATAE VITIMBERGENSIS
ASSessor
LECTORI BENEFICIO





DE
DELICTIS IN COEMETERIIS
COMMISSIS

PRE ac reuerenter in Legibus nostris Ecclesiasticis coemeteria partim agri Domini, *Gottes-Aecker*, quia in iis corpora piorum, veluti grana in spem futurae resurrectionis inferuntur, partim requietoria, siue dormitoria christianae religioni addictorum, *Schlaffhäuser der Christen*, dum hos mortem *Κόμνην* potius, quam *Σάρατον* esse, meminisse iuuat, partim etiam, cum templis saepe sint contigua, *Kirchbüfe* nuncupantur. ^{a)} Scio equidem, non deesse exempla, quibus iam apud Romanos sepulchra, quietoria, vel requietoria et dormitoria vocantur, quae ex GRVTERO et REINESIO aliisque congeffit IOANNES VAN NISPEN in pereleganti Diss. inaug. de *Sepulchro violato*, ^{b)} sed in longe prorsus alio sensu, dum gentiles resur-

A 2

rectio-

a) *Art. gen. XV. et in Decr. Synod. Reuis. §. 42.*

b) Lugd. Batau. habita anno 1723.

Cap. VIII. §. VIII. pag. 34.
Adde GVTHERIVM de *Iure manium, Lib. II. Cap. XX.*



rectionem corporum ignorabant. Hinc, licet in quibusdam antiquissimis Christianorum inscriptionibus aliquando etiam inueniatur domus aeterna, aliis tamen notis religionem Christianam designabant, siue cruce, siue monogrammate Christi, confer. MABILLON. in museo Italico p. 140. seqq. Ne autem terra conditum corpus inquietetur, et sepulchrum, quod PAVLLVS^{c)} aeternam quasi domum ac sedem vocat, violetur, in *Art. Gen. XV. et Decreto Synod. §. 42.* sancitum est, coemeteria siue muris, siue vacerris, siue palis cincta esse debere; ne armenta, vel sues irrumpant et corpora ossaue mortuorum eruant. Hoc certum est, iam apud Romanos maceria sepulchra claudi solita. Patet hoc ex PAPINIANI responsis, in *Leg. 73. §. 1. D. de contrabenda emptione.* Intra maceriam sepulchrorum, loca pura hortis, vel ceteris culturis seruata, si nihil nominatim venditor exceperit, ad emptorem pertinent. Docent haec praeterea tot inscriptiones apud GRVTERVM in opere inscriptionum.^{d)} Maceria enim, vti eam recte definit IAC. GVTHERIVS *de iure manium*,^{e)} est munimentum sepulchrorum, qua etiam in sepiendis fundis atque hortis utebantur Romani,^{f)} ex puris caementis temere congestis, et siue arenato parietibus. In eo autem, quod hoc
verbum

c) In L. 46. D. de religiosis etc.

e) Lib. II. Cap. XXX. pag. 377.

d) Pag. 656. num. 5. pag. 711. num. 3. pag. 896. num. 14. pag. 928. num. 2. et pag. 964. num. 2.

f) Conf. L. 17. D. comm. praed. it. L. 39. pr. D. de R. V.



verbum in SVETONIO substituendum sit in NERONE,^{g)} vbi bustum CLAVDII, non nisi humili materia confectum neglexisse dicitur, adhuc dubius haereo, cum in omnibus exemplaribus legatur, ipso GVTHERIO fatente, humili leuique materia; et quidem praeter necessitatem emendatio fieret, quare etiam Cel. ERNESTI hanc lectionem retinuit, semper enim, vti CASAVBONVS annotauit, in Comment. ad hoc caput, monumenta suorum sepeiebant veteres, tenuiores quidem, maceria aut humili leuique aliqua materia, honestiores vero silice, vel saxo, aut marmore, adeo, vt IAC. GRONOVIVS, in *edit. Lugd. Bat. a. 1698.* et SAMVEL PITISCVS sine Codicum MS&torum auctoritate illum imitati esse videantur. Idem esse censeo, ac si, a sono simili voce caementi, ex quo conflata erat maceria, vocabulum coemeterium deriuare vellem, cuius tamen procul dubio origo est graecum κοινότητιον, locus, in quo placide dormitur.^{h)} Primorum enim Christianorum coemeteria plerumque gentilibus ignota erant, in iisque latebant Christiani contra persecutorum violentiam, cuius rei testimonium indubitatum affert MABILLON. *d. l. pag. 137.* Quemadmodum autem eleganter ab VLPIANO dictum in *L. 14. §. 7. D. de religiosis et sumptibus funerum,*ⁱ⁾ mortuos sepe-

g) Cap. XXXIII.

h) Conf. FRANC. BALDVINI *Obseru. et emend. Librum Cap. Comment. ad edicta Vet. Princ. Romanor. p. 114. edit. Gundling.*

A 3

lire,

i) Conf. DESIDERII HERALDI *Obseru. et emend. Librum Cap. XXXIV. in OTTONIS The- sauro Tom. II. pag. 1355.*



lire, humanitatis et misericordiae esse officium: ita e contrario
 atrox committit delictum, qui dolo malo, vel circa ipsum
 corpus exanime, vel circa sepulchrum versatus, *L. 3. D.
 de sepulchro viol.* corpus sepulturae traditum extraxerit,
 spoliauerit, nudauerit, et solis radiis ostenderit,^{k)} vel ossa
 eruerit, grauissimamque meretur poenam, quae apud Ro-
 manos in honestioribus deportatio, in humilioribus vlti-
 mum erat supplicium, maxime si id factum armata manu.^{l)}
 Ius Saxonicum commune *Land- R. Lib. II. Art. XIII.*
 dicitur poenam rotae, a qua poena rigorosa recessit Elector
 Saxo AVGVSTVS, mitiorem statuens in *Const. XXXIV.
 Part. IV.* et tunc demum insurgi gladio vltore iubens, si
 circumstantiae id suadent, veluti, quando fur cadauera ef-
 fossa non iterum sepeliuerit,^{m)} quod tamen utilitas publi-
 ca,ⁿ⁾ quae semper suprema lex est, suadet. Porro poenam
 non effugient, qui sepulchra vrina contaminauerint, quo
 spectat sceleratissimum factum filii, quod ad viuum depinxit
 HORATIVS:^{o)}

*Nec satis apparet, cur versus facilet; vtrum
 Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
 Mouerit incestus: certe furit etc.*

neque

- k) Iung. PAVLL. in *recept. sent. m) CARPZOV. Part. IV. Constit.*
Lib. I. Tit. XXI. §. 4. XXXIV. Def. 2.
 l) Vid. *L. vlt. D. de sepulchro viol. n) L. 43. D. de relig. et sumpt. fun.*
et L. 3. §. 7. D. eodem. o) De arte Poet. vers. 476. seqq.



neque ii, qui lapides mouere, terram euertere, et cespitem euellere, ornamentaque auferre de sepulturis audent.^{p)} Equidem apud Romanos sepultura erat iuris priuati, et mortuum in quemuis locum, cuius quis habebat dominium, inferre licebat, sed hodie coemeteria sunt loca, publica auctoritate, sepeliendis mortuis, constituta. Extat hac de re Potentissimi Regis et Electoris Saxoniae Mandatum d. d. Dresdae d. 21. Sept. 1705.^{q)} et in *Art. Gen. XV.* ita quoque praescripta est sepulchrorum profunditas, nec non hora, ne ante duodecimam post mortem, hominis sepultura fiat, praeterea de coemeteriis, vti de aliis bonis ecclesiae, vectigalia et tributa non soluuntur. Cui vero in terris protestantium iudici in coemeteria competat iurisdictio, valde disceptatur inter maximi nominis Ictos. CARPZOVIVS^{r)} eandem Consistoriis, excluso iudice loci, tribuit, atque huius accedit sententiae WERNHERVS in *Princip. Iuris Ecclesiast.*^{s)} sine discrimine, coemeteria siue templis contigua sint, siue seorsum habeantur, Ecclesiasticae iurisdictiois esse, statuens. STRYKIVS vero ad BRUNNEMANNI *Ius Eccles.*^{t)} et BOEHMERVS^{u)} indistincte hoc non concedunt; si de
dila-

p) *L. 5. C. de sepulchro violato.* CCCLXXXV.

q) vid. BEYER. ad CARPZ. *Iurispr.* f) *Cap. XI. §. 29.*

r) *Eccles. Def. CCCLXXIII. p. 179. t) Lib. VI. Cap. II. ad §. XII.*

s) *Lib. I. Respons. LXXXVI. et in u) In Iure eccles. protest. Lib. III.*

t) *Iurisprud. Conf. Lib. II. Def. Tit. XXVIII. §. 13. et 20.*



dilatatione vel noui coemeterii exstructione contentiones emergunt, iurisdictione, hic inquit, consistorii, eadem sunt dirimendae, si coemeteria sunt seorsim a templis extracta, vt pro templi accessorio haberi nequeant, ordinaria loci iurisdictione etiam ad illa extendit, si delictum in eo commissum, is, qui criminalem iurisdictionem in eo loco habet, inquirere potest, quia hic non de iuribus coemeterii, qua talis, agitur, sed de delictis commissis, a magistratu seculari coercendis, qua in parte sequitur sententiam STRYKII in *Vsu mod.*^{v)} delicti in coemeterio commissi cognitionem, indistincte, credentis, ad iudicem pertinere secularem, nullo respectu habito, an coemeterium ecclesiae cohaereat, nec ne. Cui sententiae tamen, vti ex antea dictis patet, subscribere nulla ratione possum, praesertim cum coemeteriorum cura Superintendenti atque pastori loci commissa sit,^{w)} Consistorio autem sine dubio in ea inferior competat iurisdictione. Quando vero delicta in iis atrocitas sint commissa, primam quidem explorationem in se suscipere, sed specialem deinceps inquisitionem deferre magistratui ciuili solent consistoria, cui competit in criminalibus cognoscendi, decidendi, sententiamque exequendi potestas, eique tamen plerumque Superintendentem adiungunt. Sed filum rumpeam, praesertim, cum ea, quae CLARISSIMVS ET POLITISSIMVS CANDIDATVS, de

v) *Tit. Pandect. De Iurisdictione* w) *Iung. CASP. ZIEGLER. in Superint. Cap. XXXIV. §. 3. seqq.*
§. 20.



de excessibus et delictis in templis commissis, scite atque erudite conscripta, et de iurisdictione, idcirco competente exposuit, ad coemeteria commode possint applicari, ideoque mihi ansam praebuerit, vt haec ob argumenti affinitatem, programmatis loco praemitterem, praesertim cum leges nostrae ecclesiasticae, nouae pariter atque antiquae,*) in constituendis poenis circa delicta ibidem commissa, haec plerumque coniungant. Ceterum mearum esset partium, vt de natalibus totiusque studiorum laudatissimorum ratione CANDIDATI NOSTRI, optima indole, summaque morum integritate praediti, agerem, sed, cum in hac Academia natus et educatus, magnaue cum laude in oculis vestris versatus sit, et Philosophiae iurisque prudentiae assiduam operam dederit, ipsum potius praeclarum vitae suae curriculum breuiter delineantem audiamus.

*E*go Ioannes Carolus Gebhard Reinhardus, Vitemberg.
Saxo, natus sum d. 26. Iulii anno MDCCXXXVI.
a parentibus, quorum cineres atque memoriam pie dum
inter viuos ero, colam. Pater, cui ex uxore MARIA
ELISABETH, GIESII, olim mercatoris, filia nascebar,
B erat

*) Vid. Landr. Lib. II. Art. XIII. et §. 13. in Decr. generali reuiso.




erat CHRISTIANVS THEOPHILVS REINHARDVS,
 I. V. D. Potent. Reg. Pol. et Elect. Sax. in Summo Prouocat.
 Senatu Consiliarius, Facultatis Iurid. quae hic floret, Assess.
 ordinar. et ciuitatis huius consul. Hic cum ad litterarum
 studia ingenium in me non plane ineptum animaduerneret,
 me priuata paullulum domi institutione imbutum, disciplinae
 tam publicae, quam priuatae Excellentissimi HILLERI nostri,
 tunc temporis Lycei patrii Rectoris meritissimi, qui mihi per
 octo annos ad addiscendas, quae ad humanitatem pertinent,
 litteras, auctor et princeps fuit, saluberrimo consilio deman-
 dabat. Anno vero MDCCCLII. parens optimus, pueros,
 ratur, a paternis Laribus per aliquod tempus esse diuellendos,
 Misenam me in scholam mittebat prouincialem, ubi explora-
 tis, quas paraueram, in litteris viribus, in secundam inter
 extraneos classsem recipiebar. Vix autem ibi sedem condide-
 ram, cum de morte matris dulcissimae praematura certior
 ferem, quo nuncio in summam coniciebar tristitiam. Pul-
 sis vero, studiorum et iuuentutis beneficio luctibus, per bien-
 nium ibi, et quod excurrit, Virorum doctissimorum, VLI-
 SCHII, Praeceptoris mei integerrimi, cuius victui et curae
 eram traditus, HOERII, WEISII, aliorumque interfui
 lectio.



lectionibus. His deinde ad altiora paratus, anno MDCCLIV. in patriam reuertebam, ubi iam antea, ex beneficio Viri Summe Venerabilis, Magnifici WEICKHMANNI, Patroni mei optimi, in numerum ciuium academicorum eram relatus. Hic initio ad iucundissimas HILLERI nostri scholas, easdemque philosophicas redibam, audiebam porro WEIDLERVM, BOSIVM, Viros doctrina ac fama insignes. Deinde Virorum Illustrium atque Celeberrimorum, ICTORVM plerorumque acroasibus legalibus, quantum fieri potuit, interfui, quorum summis de me meritis, et patris, quem pro felicitate mea maturius nouissime, pro dolor, abripuit temporis calamitas, colloquiis et institutionibus priuatis, omnia debere fateor. Iam vero cum more Iustiniano in academia absoluissem fere quinquennium, et vtrumque in Illustri ICTorum confesso pro virium mediocritate, sustinuissem examen, in eo versor, vt Dissertationem, DE EXCESSIBVS ET DELICTIS IN TEMPLIS COMMISSIS, inauguralem, sub auspiciis Viri Illustris, Magnifici, ANDREAE FLORENTIS RIVINI, Patroni mei, cui immortalibus obstrictus sum gratiis, optimi, publice defendam. Quod propositum Maecenatibus, Fantoribus atque Amicis de meliori commendo.



Inprimis igitur PRAESTANTISSIMVS CANDIDATVS non tantum scholas nostras assidue frequentauit, sed etiam praeceptis Beati PARENTIS, Collegae nostri desideratissimi, de re publica et omnibus, quibus interfuit, Collegiis mericissimi, imbutus, et ad eius consuetudinem, moremque deductus fuit. Tandem admissus ad consueta examina, tam eximii exempli imitator felicissimus, tantaque cum laude illa sustinuit, vt omnium consensu cupitis honoribus dignissimus fuerit iudicatus, qui ad summos in arte nostra honoresmitteretur. Fict hoc d. XXIX. Dec. a. c. post defensam sub meo praesidio, a se elaboratam dissertationem inauguralem, *de excessibus et delictis in templis commissis*, ad quam exornandam MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PERILLVSTRES LIB. BARONES, PATRES CONSCRIPTOS, GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS CIVES, Collegii nostri nomine, ea, qua decet, obseruantia inuito. Dabam Vitembergae die XXIII. Dec. cl̄o c̄o c̄o l̄viii.



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA



Widenberg, Diss., 1756-58

ULB Halle
003 608 042


3



SLB







B.I.G.

Farbkarte #13

1758 10 20
33

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

SENIOR

ET H. T

DECANVS

ANDREAS FLORENS

RIVINVS D

POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC

ELECT. SAXON. CONSILIARIVS AVLICVS

DIG. VET. PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

CVRIAE PROVINCIALIS CONSIST. ECCLESIAST

ET SCABINATVS VITEMBERGENSIS

ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S